

ginis ab omni peccati contagione liberam conceptionem aperitissime praesignavit: sicut enim grassante peste per infectionem aeris in omnem populum, Davidicam illam aream incontaminatam reliquit; nec secus, quæ beatissima Virgo futura erat area, in qua verus David Christus Dominus victimam sui corporis Deo Patri oblaturus erat, ut dixit David, et refoer d. Paulus ad Hebraeos (c. 10): *Hostiam, et oblationem noluit, corpus autem aptasti mihi. Holocausta pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: ecce venio: quamvis infestissima peccati originalis pestis omnes Adæ filios infecit, illam nihilominus omnino intactam, et ab eius contagione immuam reliquit. Lamina deinde, quam Deus fieri præcepit ex auro purissimo atque alicuius vilioris metalli permixtione, ut in ea sanctum nomen eius imprimeretur; sic enim ait sacer tuxis (Eccl. 18): *facies et laminam de auro purissimo, in qua exculpes opere caelatoris sanctum Domino, eandem Virginis immaculatam conceptionem praefiguravit; nam sicut lamina illa ad digne in se suscipiendum nomen Dei scriptum opere caelatoris, oportebat ex purissima auri materia nullo vili metallo permixta confici; illa etiam potiori iure oportuit, ut quæ in suo ulero susceptura erat non nomen Domini exaratum opere caelatoris, sed ipsum Dominum Spiritus sancti opera hominem factum, nullo unquam adulterio peccati metallo fuisset permixta.**

In vastissimo etiam illo regno Aegypti, sacra Genesios (c. 47) commemorat historia, solam terram sacerdotalem fuisse ab omni tributo, ac vectigali liberam, quod perspicue satis hoc ipsum mysterium praesignavit: nam sicut ibi propter honorem sacerdotalis muneris immunitas erat a tributo terra illa sacerdotum, potiori quidem iure propter honorem summi sacerdotis Christi Domini sacerdotalis terra b. Virginis immunitas omnino esse debuit a peccati originalis tributo. Praesignavit deinde libertatem b. Virginis in sua conceptione libertas illa servi Iobiani, qui liber effugit ex infelici illa calamitate, quæ ruente domo, importuno ventorum flatu concussa, ubi filii Iob aderant, omnes pariter peremit, quam ruinam peccati originalis calamitatem praefigurasse docet d. Gregorius lib. 1. super cap. 16. Iob; sicut ergo ibi effugit servus unus Iobi (c. 10), ut mortem filiorum ei nunciaret: *Effugi ego solus, ut nunciarem tibi; illa toto genere humano ruente ab infestissimo peccati originalis vento concusso, sola Virgo inter puras creaturas calamitatem illam universalem effugit, ac nuncium suae immaculatæ conceptionis nobis attulit. Tandem, cum b. Virgo praefigurata fuerit per coelestem Hierusalem, de qua Ioannes (cap. 21) dixit: *Nihil inquinatum introibit in illam, et doctor Paulus (Gal. 4): Quæ sursum est, Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra: nec enim Christus Dominus Ilius est servæ sicut Ismael, (Gen. 16) sed liberae, qua liberatione ipse matrem suam praemagnifice liberavit. Cum tiam adumbrata fuerit (Cant. 4) per turrim Davidicam, ex qua mille clypei pendebant: per fortem illum Iael (Iudic. 4) tempora Sysarae clavo confodientem: per insignem illam Iudith (c. 13)**

Holofernis caput proprio eius gladio viriliter amputantem: per paradysum terrestrem (Gen. 3) a maledictione terræ immunitem: per templum Salomonis (Ezech. 1.), in quo malleus non est auditus: per thronum sapphyrinum Ezechielis (Ezech. 1.): et per eburneum Salomonis (2. Paralip. 9): per rubum Moysis ardentem sed nunquam combustum (Exod. 3): per solem tenebras nescientem: per coelum omnis peregrinae impressionis expertus; ac per alia per multa, quibus scaten divina eloquia. Ex his christiana pietas rationabiliter sibi persuadet, Deiparam Mariam praeservatam fuisse in sua conceptione ab omni labe peccati originalis: unde apte satis existimo huic argumento accommodari posse verba Salomonis, qui de muliere illa forti Mariam adumbrante loquens, dixit (Proverb. 31): *Non extinguetur in nocte lucerna eius, non timebit domus suae a frigoribus nivis: byssus, et purpura indumentum eius, fortitudo, et decor indumentum eius. Bene inquit, Lucerna eius non extinguetur in nocte, quia b. Virginis anima ab instanti suae conceptionis inextinguibilis lucerna fuit, ardens semper, et lucens, ac peccati originalis obscuram noctem omnino nesciens: subiungit: *Non timebit a frigoribus nivis: byssus, et purpura indumentum eius (ibid.), quia candido innocentiae bysso, et purpureo habitu charitatis adversus peccati frigiditatem indulta erat. Ac tandem addit, fortitudo, et decor indumentum eius (ibid.), ut significaret, quod sicut vestimentum undique corpus circumdat, ita insignis, ac inextinguibilis Mariae fortitudo omne genus peccati facile superans, velut amictus beatam Virginem undique semper circumdedit. Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.**

HOMILIA VIII.

Varia sacrae Scripturae loca, ad eandem illibatam Virginis conceptionem illustrandam, secundum mysticum intelligentiam, pulchre explicantur.

Dum d. Bernardus (de Assumpt. et super missus) beatam Virginem Collum appellat, in non obscure nos docet, verba illa (Cant. 7) sponsi ad sponsam, *Collum tuum, sicut turris eburnæ, secundum mysticum interpretationem de b. Virgine apte exponi posse. Scio Ripertum abbatem in hunc modum ea explicare: *Igitur, o dilecta, collum tuum, quod est humilitas tua, turris eburnæ, id est, fortissima est, atque pulcherrima, quam respiciens Altissimus, dedit tibi gemellos istos, dulces hincullos, duo vera haec, virginitatem, et foecunditatem. Verum alio tendit nostra expositio: comparat enim Virginem collo, quia sicut collum nunquam est non coniunctum capiti, nec caput nunquam est non influens vitam in collum; ita sane b. Virgo nec per momentum extitit non coniuncta capiti suo Christo Domino, neque per momentum caput hoc cessavit vitam gratiae in illum influere; nunquam ergo peccatum divisit collum hoc a capite suo, ad quod significandum**

comparavit ibidem eandem sponsus turri Davidicæ, quam, ut adnotavit Gregorius Nyssenus (ser. 7 in Can.) ad hostium adventum praevidendum, simulque ad irruentium impetum repellendum rex David opibus, et scientia rei militaris polens, in monte Sion extruxerat; unde, sicut turrim illam adeo praemunit, ut lebusæus nunquam eam dominari posset, ita sane tot Christus Dominus fortissimæ divinae suae gratiae propugnaculam Matrem suam praemunit; ut neque potentia, neque industria, aut machinamenta aliqua diaboli illam expugnare, et a capite suo dividere unquam poterint. Sed et aliter etiam explicemus hanc colli nomenclaturam, ut praesenti argumento multifariam, multisque modis inserviat; collum sane erat b. Virgo, sed collum daemoneis iugo nunquam subiectum, nec ferrea illius catena, qua omnes filios Adæ, tamquam mancipia devinxerat, oppressum; sed aurea potius divini amoris catena, multis gralium gemmis, margaritisque virtutum distincta, decoratum erat: ut plane indicant verba illa eiusdem sponsi (Cant. 1): *Collum tuum sicut monilia. Hanc ergo auream gratiam, et virtutum catenam nos ex isto eburneo collo suspendimus. Collum enim est Maria, et ideo indifferens ad utramque, cum neutram opinionem damnet Ecclesia; ego tamen illud praeracissimæ ornamentis induam. Audio enim Habacuc (c. 3) dicentem: *Denudasti fundamentum eius usque ad collum: quasi diceret: quamvis cetera omnia membra fuerint gratia denudata, collum tamen, sicut et caput, denudatum non est; quia nec Christus per caput, nec Maria per collum significati, divina gratia unquam caruerunt.**

Locus etiam ille Canticorum, qui in ore omnium versatur (Cant. 2): *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias*, praesenti argumento satis conveniens est, quia, sicut liliū oritur inter spinas, ab ipsis tamen non pungitur; ita b. Virgo, etiamsi in sua conceptione a progenitoribus peccati spinis confixis oriatur, ipsa tamen, velut coeleste liliū, peccati originalis spina confossa, aut aliqua eius punctura lacerata minime prodit. Ita explicant hunc locum gravissimi doctores. Nam Adamus de sancto Viatore dixit:

Salve Christi sacra parens,
Flos de spina, spina carens
Flos spinæ gloria.
Nos spinatum, nos peccati
Spina sumus oronati,
Sed tu spinæ nescia.

Similia tradit Sedulius libro 1. Paschalis Carminis, dum ait:

Et, velut e spinis mollis rosa surgit acuta,
Sic Heva de stirpe sacra veniente Maria,
Nil est, quod laetiet Matrem; haeres servat in amore.

Plinius (lib. 21. cap. 19. et lib. 23. c. 4.) liliū naturam describens, affirmat, liliū virtutem habere efficacissimam contra lepram, contra ulcera, et contra ignem sacrum, ne proserpat, necnon contra serpentinum morsum. Non secus beata Virgo, cum concepta fuerit sicut liliū

CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. I.

inter spinas, ea divinae gratiae virtute praedita fuit, ut nec peccati originalis lepra, nec antiqui serpentis morsus quidquam ea laedere poterint. Quod si quispiam miretur, quomodo, si Virgo liliū est, cuius tanta esse noscitur teneritudo, ut nec minimum ferat contactum cuspidis, quin perforetur, quomodo, inquam, in sua conceptione resistere potuit antiqui serpentis brachio adversus eam sagittam vibranti? Certe id non virtutis humane b. Virginis fuit, sed virtutis illius (Iob 14), qui potuit facere mundum de immundo conceptum semine, ut Iobianis verbis utar. Possumus etiam non incongrue per has spinas intelligere eas, quæ capiti nostri Servatoris affixæ fuerunt, quibus suavissimum b. Virginis liliū praeservavit, ne illud daemon contractaret, peccatorumque feræ pedibus conculerent; unde est illud Isaiae (c. 44): *Dabo in soliditatem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ, ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant patres, quia manus Domini fecit hoc: id est, cum in conceptione sua Mater mea sola videatur existere, ita ut nemo ei praestet auxilium, tunc manu mea circumdabo illum cedro, spina, et myrto; quæ quidem arbores, ut inquit Lyra, et Adamus, et alii interpretes, quia incorruptibiles sunt, significat animam Virginis non fore peccato corruptendam: circumdabo etiam illum olivæ, quæ signum est victoriae, ut illa Virgo victoriam de omnibus peccatis comparasse declaratur.*

His adnecto egregium illud Canticorum locum (Cant. 7): *Comae capitis tui, sicut purpura regis vincia canalibus*. Aristoteles dixisse fertur, hominem esse arborem inversam, cuius radices sunt capilli: certe ad eum modum, quo radices sunt principia arboris, ad eundem principia vitae capilli appellantur. Ait ergo sponsus: *Principia vitae Virginis, hoc est, conceptionem fuisse velut comas purpureas, ac regias vincetas canalibus, hoc est, purpureo sanguini Christi regis regum, veluti ostro tinctas, quia ex Christi sanguine, et meritis Mariana conceptio fuit immaculata, et ab infestatione antiqui serpentis omnino libera. Ob cuius benefici largitatem ipsa debitas gratias Deo agens, usurpare sibi poterat verba illa David patris sui (Psal. 40): *In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum. Primum opus, quo Deus manifestavit amorem ferventem ergo Matrem suam, fuit, illam ab originali peccato praeservare, ne diabolus gloriaretur, sub peccati tyrannico iugo eam habuisse: idque sibi voluit verba illa (ibid.): *quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Id autem, quod subdit: *Et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum (ibid.), indicat in Maria reperitum fuisse copiosam illum gratiam, quam Adam perdidit, non quasi nullo, ut per aliquod temporis spatium datam, sed in aeternum confirmatam: unde ipsa omnes ad hoc singulare prodigium intendum invitans, dicit (Psal. 63): *Venite, audite, et narrabo quanta fecit Deus animæ meae; quæ autem haec fuerint, revelavit illa, Deus sancto Iob (c. 38) cum illum interrogavit: Numquid gyrum Arcturi poteris dis-*****

si pare? Arculus est currus coelestis constans septem stellis, quarum prima est mundi polus, semper fixus, et immobilis; aliae vero ita sunt dispositae, ut illarum tres modo superiores sint, et aliae tres inferiores, et e contra; viceversa moventur. Numquid igitur, Deus aut interrogans sanctum Iob, poteris currui clavum figere, ne ipse diurnis motibus moventur, et quod omnes eius stellae solum polum suum respiciant? Hoc admirandum opus Deus soli sibi reservavit, et in Maria perfecit, quod ut recte intelligatur, notandum est in homine septem esse stellae, et unam earum polum, in quem illae respiciere, et intueri debent. Polaris stella est ratio, quae fixa, et immobilis debet esse, Deo intenta semper; in anima vero sunt tres potentiae fulgentes, ut tres stellae, et in corpore quatuor potentiae aestivatae, phantasia, sensus communis, et appetitus sensitivus; quae ita moventur, ut earum quaedam aliquando subsint, et obediunt, aliquando exaltentur, et dominantur; nonnumquam enim appetitus rationi obsecundat, et e contra, quandoque ratio appetitui pareat: at vero in alma Virgine Maria currui clavum Deus affixit, ne motibus contrariis volveretur; sed omnes eius tam rationales, quam sensitivae, tam interiores, quam exteriores potentiae mira pace, ac tranquillitate fruerentur, utpote unanimi consensu absque ulla discordia in polum rationis semper respicientes. Unde merito sanctissima Virgo herbae solis assimilatur, quae fixas terrae radices habens, solem incessanter adeo intueatur, ut neque per momentum ab eius aspectu desistat, unde *aemula solis* dicit solet; at constat, quod si peccatum contraxisset originale, nec ratio superior tunc dominaretur, nec potentiae eius rationis polum prospicerent, nec solem iustitiae incessanter intuerentur. Reliquum ergo est, dicamus, conceptam fuisse beatam Virginem absque labe peccati originalis his coelestibus donis animam exspoliante.

Sed nec locus ille alius Canticorum nobis praetermittendus est, ubi Sponsus comparat Virginem equitatu suo, cum pergebat adversus Pharaonis currus (*Cant. 1*): *Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Apla satis metaphora ad explicandum immunitatem beatae Virginis a peccati originalis macula: sicut enim in transitu maris rubri Aegyptii omnes aquas undique illos obruentibus (Exod. 14) submersi sunt, equitatus tamen, seu equestris exercitus Dei Israel siccato pertransiit, aquis ipsis se dividitibus, velut in duos chrysothallinos muros, ut liberum a submersione transitum ei praeberent; non dissimiliter, cum commune sit omnibus filiis Adae in transitu de non esse ad esse aquis peccati originalis submergi, hoc tam singulari privilegio donata fuit B. Virgo, instar equitatus Dei, ut non solum in eo transitu non submergeretur, sed nec aquae illae eam contingere auderent; unde merito cum David canere posset (*Psal. 140*): *Eudent in reticulis eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam.**

Sed ne a libro Canticorum digrediamur, alium egregium locum ex cap. 2. adiungamus, ubi Sponsus beatam Virginem alloquens ait (*Cant.*

7): *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis?* locus hic ob id difficilis est quod plerumque calcamenta effeminatorum animos captivant. Unde Deum semper illa viderit exercitatus. De Holoferne narrat sacra Scriptura, quod *Sandalia Iudith (cap. 16) rapuerunt animam eius*: et Alexander ab Alexandro de quodam rege commemorat, quod, cum aquila quaedam per aera volitans quendam perpulchrum calcem rostro suo portaret, calcem eiecit ad pedes regis, cuius pulchritudo ita illum coepit, ut per varias sui regni provincias per plures nuncios mitteret, qui explorarent, cuiusnam ille calcem esset, qui agnito cuiusdam foeminae esse, nomine Rodopea, illum in uxorem accepit. Deus tamen e contra mille indicia saepe exhibuit, quibus aperte calcementa detestari commonstravit: unde, nec amiesimo suo Moysi calcem ad se accedere permisit, cum aderat in Rubo, qui ardebat, et non comburebatur (*Exod. 3*): *Solce*, inquit, *calcamenta de pedibus tuis.* Cum etiam vir repudiabat nubere aliquam in uxorem, quae iure erat ei nubenda, praecipit Deus, ut ipsa calcem sui pedis posset illum percutere. Falsi etiam dii, hoc eodem genere ritus volentes ab idololatriis coli, praecipiebant, neminem calcem eorum templum introire, ut de templo Dianae, quod erat iuxta paludem Meothidem, narratur. Quod si rationem inquiramus, quare Deo sint ingrata calcamenta, cum unanimi consensu tradunt frequentes patres, quod pedes in sacra Scriptura significant passim pravae animi affectus: sicut enim corpus pedibus progreditur; ita animus affectibus incedit. iuxta illud tritum d. Augustini (*11. de Civi. Dei c. 28*), testimonium, qui de effectu amoris loquens, ait: *Illo feror, quocumque feror*: atque hinc est, in sacris eloquiis per pedes significari varias peccatorum species: Isaia enim, ut ostenderet superbiam filiorum Sion, ait (*Isai. 3*): *Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et composito gradu incedebant: et infra (c. 36) avaritiam per pedem significavit; Exsticavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum.* Et Iob, ad significandam fraudem, et hostilem traditionem, eadem pedis metaphora usus est; *Si ambulavi in dolo pes meus (Iob 34)*. David eandem usurpavit ad crudelitatem ostendendam (*Psal. 13*): *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*: ac tandem Daniel (*c. 7*), ut tyrannidem significaret, dixit: *Reliqua pedibus suis conculeans*. Pravi igitur affectus, et obliquae inclinationes, manifestum est per pedes significari: quibus sane, quia insidias parat antiquus serpens, dicitur (*Gen. 3*): *Tu insidieris calcaneo eius, et illud (Gen. 49): Cerastes in semita, mordens unguam equi.* Volens igitur Deus servos suos humiles esse, et non superbiere, sed ante oculos habere, velut pavones, affectum suorum deformes pedes; ideo ad id significandum noluit eum ad se pravis suis affectibus calcem accedere, quia calcem operit maculas pedis. Ex his iam gradum faciamus ad verba sponsi intelligenda (*Cant. 7*): *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis*: ut enim ostenderet tantam esse puritatem, ac sanctitatem affectum Virginis per pedes significatorum, ut

nihil in ea deforme esset, a quo deberet exponiari, non iubet illi solvere calcamenta de pedibus suis, sed potius calcem ad se accedere. At, si illa peccatum originale contraxisset, ingentem deformitatem, et Deo valde execrandam habuisset, a qua oporteret denudari, et expoliari, ac proinde non permitteretur, sicut nec Moyses (*Exod. 3*), calcem accedere, sed eius calcamenta, sicut et illa, Deo displicuissent.

Accedit ad haec, quod cum sponsus laudet sponsam, eo quod nullis pravis affectibus, et obliquis inclinationibus appetitus eius fuerit deturpatas, aperte satis indicat, peccati labe caruisse, cum haec in eodem instanti commatulet animam, et appetitum effraenem ad malum primum reddat; ut in eadem pedis metaphora persistens indicavit Iob (*c. 13*), dicens: *Posuisti in nervo pedem meum, et vestigia pedum meorum considerasti.* Cum ergo beata Virgo nullo unquam pravo affectu, aut inclinatione ad malum, ut sponsus fatetur, fuerit affecta, consequens est, radice peccati originalis, unde illa omnia pullulant, caruisse. Aliiter etiam eadem verba (*Cant. 7*), *Quam pulchri sunt gressus tui, ut sponsus fatetur, fuerit affecta, consequens est, radice peccati originalis, unde illa omnia pullulant, caruisse.* Aliiter etiam eadem verba (*Cant. 7*), *Quam pulchri sunt gressus tui, filia principis.* Et quod subnectit, in calcamentis, id ipsum magis confirmat: quia, si mysteria beatae Virginis contemplerem, sicut assumpto gloriosa in coelum fuit eorum finis, et corona: ita et principia existerent immaculatae eius conceptio, ac sancta eius nativitas. At igitur, haec principia, quibus, tamquam pedibus ingressa fuit beata Virgo in mundum, calcata esse, instar pedum, divina gratia; et quidem, si, ut Paulus ait, ad promulgandum Evangelium voluit Deus praedicatorum divina gratia calcari, ut verbis suis utar (*Eph. 6*): *calcatei pedes in praeparationem evangelii*; quanto magis id necessarium erat ad concipiendum, seu generandum Christum Dominum autorem ipsius Evangelii? Atque ex his inferre licet, beatam Virginem obtinuisse benedictionem illam Davidis ei dicens (*Psal. 120*): *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum ex hoc nunc, et usque in saeculum.* Lex quidem generalis imposita erat hominibus, ut ad exitum huius vitae in pulverem redigerentur, iuxta illud (*Gen. 3*): *Pulvis es, et in pulverem revertentis*; sed ab hac lege immunis facta est Virgo, cum corpus eius nec vermibus corruptum, nec in pulverem fuerit reductum. Alia etiam lex lata erat, ad introitum vitae, ut scilicet omnes peccato originali inficerentur. Desiderans ergo David, ut ab hac etiam liberaretur Deipara Virgo, ita ut in introitu portae conceptionis, in cuius limine corruerant omnes filii Adae, ipsa singulari Dei protectione custodiret, ideo dixit (*Psal. 120*): *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum.* Cum ergo beata Virgo benedictionem hanc patris sui Da-

vid, plenius, quam dici possit, receperit, merito in gratiarum actionem ob tam singulare beneficium usurpare sibi potest verba illa Iudith (*c. 13*), quae typum eius gessit: *Vixit Dominus, quoniam custodivit me angelus eius, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Ac si clarius diceret: *Gratum omnipotenti Deo, quod Filius eius magni consilii angelus divinae suae gratiae munimine ita me protexit, ut in introitu per conceptionem peccati originalis turpitudine non inficerer; et in decursu vitae veniali labe non commacularer; nec in reditu ad Deum per assumptionem in pulverem verterer.*

Huc etiam facere existimo locum illum Ieremiae (*c. 1*): *Virgum vigilante ego video*: haec est beata Dei Genitrix, quae nunquam somno peccati corrupta fuit, sed semper vigilavit. Advertere tamen oportet, quod ubi nostra Vulgata legit, *Virgum vigilante*; alia translatio praesentit *Virgum amplexantem*, quae recte veritatem illi-batae conceptionis mysterio quadrat: tum quia sicut amygdalus prius inter omnes arbores germinat, et florescit; sic beata Virgo prius gratia, et charitate floruit, quam reliqui omnes, cum ipsa in sua conceptione sancta, et immaculata existeret; alii vero post natiuitatem, vel paulo ante illam, ut sanctificati in utero materno: tam quia, prout refert Aristoteles, et Palladius de vegetabilibus: sicut ad hoc, ut amygdalus non contrahat amaritudinem, interponitur radice eius quaedam virgula dulcis, et sic dulcoratur; ita sane divina haec amygdalus Maria, quae secundum legem peccati amaritudinem contrahere debebat, prohibita est per Spiritum sanctum, ne illam contraheret, dum radice illius, hoc est, conceptioni, quae radix est vitae humanae, dulcem virgulam gratiae immisit ab omni peccati amaritudine illam praeservantem.

Tandem ad praeservationem Virginis ab omni originali labe ostendendam spectare arbitror explicationem Andreae Cretenensis Hierosolymitani episcopi super illud Iob (*c. 3*): *Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis aurorae*; spectabat daemones, postquam superatis, id est, sanctos omnes, viderat peccato originali obscuratione, spectabat, inquam, quando esset orbitura lux vera Christus, quia secundum d. Bernardum (*serm. in Cant.*), et alios quosdam doctores, occasio casus illius fuit revelatio, et praenuntiatio angelis per Deum facta futurae divini Verbi Incarnationis: tanquam odium prosequatur est hanc solarem lucem, ut etiam auroram illius praenunciam in principio suae conceptionis maculare tentaret. Divina autem virtute factum est, ut sceleratus ille nequaquam videret hanc lucem, nec ortum, et conceptionem huius coruscantis aurorae. Unde adeo se ostendit conspicuum, et titulatum divino, et angelico conspectui, ut angeli illius splendorem admirantes, dicerent (*Cant. 6*): *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* et addunt: *sicut castrorum caeas orbitata* ut significarent, nequissimos spiritus nihil magis exhorrescere, quam beatam Virginem. Unde merito dicere possent, quod olim

Holofernis milites, cum viderunt phalanges, et turmas suas dissipatas, et omnem videntem spem penitus amissam (Judith 14): *Una mulier hebraea fecit confusioem in domo Nabuchodonosor.* Quare non immerito pulverim diabolum post primum casum nunquam maiori confusione, et verecundia perfunctum, quam cum in conceptione b. Virginis illusus fuit. Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Ostendimus ab instanti suae conceptionis beatam Virginem purissimam, ac pulcherrimam fuisse, atque adeo omni peccati macula carentem in illa verba Cantiorum: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te: quae multiplici patrum evulsiōne, variisque animi conceptionibus elucidantur.

Beatissimam Virginem ad eos, qui peccati actualis labe illam commaculant, arbitror dirigere verba illa Cantiorum (Cant. 1): *Nigra sum, sed formosa, filiae Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis:* quasi dicat: licet nigra sim apud vos, qui me peccati actualis nigredine deturpatam fuisse putatis, sed vestra vos fallit opinio, quia formosa, et pulchra sum, sed pulchritudine instar tabernaculorum Cedar, et pellium Salomonis, quae, licet extrinseca deformia esse viderentur, intrinseca tamen miram pulchritudinem abscondant: non secus ego, licet per communem generis humani propagationem progenita fuerim, et hac ratione maculam contraxisse videar, intrinseca tamen illius propagationis labe, quae omnes inficere solet, nec per momentum temporis infecta, sed miris divinae gratiae splendorebus illustrata fui. Ad idem etiam faciunt sequentia verba (ibid.): *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol: ac si dicat: Quamvis obnoxia sim peccato originali, sicut et reliqui omnes, atque ex hac parte fusca appaream propter debitum contrahendi hoc peccati genus, verum tamen ex divina solis iustitiae irradiatione ab eo praeservata, et purpureo charitatis habitu colorata sum (ib.), quia decoloravit me sol.* Haec ita esse non obscure indicant verba Sponsi ad b. Virginem (Cant. 4): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Scio nonnullos doctores hunc locum explicare de Ecclesia catholica, sed non video sane, quomodo omnino congrua sit explicatio: nam vel sermo est de macula peccati mortalis, vel de venialis: si de mortali, certum est Ecclesiam, quae congregationem fidelium sub uno capite visibili importat, non esse in hoc sensu immaculatam, cum nulli eorum peccato leihali sicut infecti: si vero sermo sit de macula peccati venialis, manifestus est, id ei non convenire. Immo, si per figuram synecdochem nomine Ecclesiae militantis accipiam principalem eius partem, quae iustos, et sanctos comprehendit, duo hanc intelligentiam refellunt: primum, quia omnes illi nunquam carent macula pec-

cati venialis, Apostolo Ioanne dicente (c. 1 in sua Canon.): *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est:* tum quia, cum expresso sermone dicat Sponsus, *Tota pulchra es, omnem praeculidit aditum ad sumendam partem toto.* Unde d. Hieronymus (lib. 3. adversus Pelagianos), d. Augustinus (lib. 1. tract. c. 19), et d. Bernardus (serm. 38. in Cant.) Beda (in Comment. huius loci) videntes non ita congrue posse aptari Ecclesiae militanti praedicta verba, exponunt illa de Ecclesia triumphantem: quam intelligentiam secutus est Honorius in Commentario huius loci, dum ait: *Ibi conspiciuntur amica tota pulchra, quae est Ecclesia regnans in omnibus suis ordinibus, gloriosa, et macula non est in ea, quia illa aula non recipit aliquam peccati maculam.* Verum alii doctores, quos secutus est Alanus (super 4 Cant.), et d. Bernardus Senezis (tract. de laud. Virg.) interpretantur verba haec de beata Virgine, ut pulchra corpore, et pulchra anima fuerit, nullaque umquam actualis, vel originalis peccati macula in eam irrepserit: et quidem, si umquam haec macula eam infecti, id certe fallit, quando verum non erat dicere (Cant. 4): *Tota pulchra es amica mea: quomodo autem potuit unquam verbum veritatis verum non esse? Consonant his praecleara, quae multi patres nobis tradiderunt: nam d. Augustinus libro contra duas haereses inquit: Unde sordes in domo, in qua nullus habitator terrae accessit? Solus ad eam eius fabricator, et dominus venit.* D. Bernardus sermone de Assumptione, Marianam puritatem explicans, ait: *Quae, vel angelica puritas Virgini illi valeat comparari, quae digna fuit sacrificium fieri Spiritus sancti, et habitaculum Filii Dei? Sed beatus Arnaldus abbas sermone de laudibus Virginis, angelos supergreditur in hac comparatione, dicens: Inter tot animas hominum, quae salentur, ut electa columba est una illa sola, quae Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, quae puritate profecto Cherubim, et Seraphim antecellit.* Ac tandem doctor Anselmus, cum latius Virginis puritatem commendans, ait: *Decens erat, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Pater, et Virginis Filius.* Haec ille: a quo non longe absunt verba d. Ambrosii super capitulum quartum Cantiorum, dum ait: *Pulchritudinem quis potest maiorem existimare decore eius, quae amat a rege, probatur a iudice, dedicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper inupta; ut nec amor finem habeat, nec dampnum pudor? Pulchritudo ista interior est, non exterior, quae non marcescit, neque defuit. Vetus est consuetudo, ut, cum de probanda innocentia aliquis agitur in aliquo tribunali, prius diligenter inquiratur, an culpam commiserit, postea vero promotore fiscali, illa non inventa, declaratur a iudice liberum esse a macula, quae ei imponatur, atque adeo iustam, et innocentem.* At contra Virgini accidisse contestantur verba proposita: nam Spiritus sanctus, qui

supremus est iudex omnis sanctitatis, et innocentiae, prius affirmat beatam Virginem esse pulchram, et sanctam (Cant. 4): *Pulchra es amica mea: et deinde ait, nullam in ea invenire maculam culpae (ibid): Et macula non est in te.* Illud in hoc suspicor latere mysterium, quod duo praevit revocanda fore in dubium. Primum, an beata Virgo ita omni ex parte pulchra fuisset, ut nec deformitate peccati venialis infecta extitisset: secundum, an peccatum originale contraxisset. Ad primum quaesitum respondet: *Tota pulchra es amica mea: ad secundum: Et macula non est in te.* Responsionem vero illius secundi cum primo coniunxit, quia ex eo, quod beata Virgo omni peccato veniali semper caruerit, quod minus commaculat animam, congrue satis inferitur, etiam caruisse originali, quod deformius inficit illam: si enim dedecet Matrem Dei levis culpa, multo magis gravis, et mortifera, cuiusmodi est peccatum originale. Haec Virginis spirituales pulchritudinem egregie adumbravit pulchritudo corporalis Rebecca, Rachelis, Esther, et Judith, quae a principio suae conceptionis singulari corporis pulchritudine fuerunt decoratae, et praesertim Esther (c. 2), de qua legimus, *Erat formosa valde, et incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratiosa, et amabilis videbatur, quae placuit regi Assuero, et invenit gratiam in conspectu eius: tradiditque ei septem puellas speciosissimas, atque amavit eam super omnes mulieres; postquam didicem regi in capite eius, et fecit eam regnare in loco Vaethi.* Haec ibi. Per Esther, quae interpretatur abscondita, seu, electa in populo, in tempore, recte designatur Virgo Maria, tum quia fuit abscondita sub figuris in veteri Testamento: tum quia super choros angelorum elevata: tum quia ab aeterno fuit praeparata, et electa, ut in tempore gratiae esset Mater Filii Dei. Haec igitur sacra Esther tanta pulchritudine praecellit, ut et illam sol, et luna mirarentur. Pulchra fuit interior, pulchra exterior: interior quidem, per gratiae nitorem; exterior vero, per carnis integritatem. Haec itaque divina Esther propter singularem hanc pulchritudinem summi placuit Assuro, qui interpretatur, *beatitudo*; ac proinde recte praefigurat Dei Filium, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto ipsa est obiectiva beatitudo, et tota merces beatorum: ipso dicente (Joann. 17): *Haec est vita aeterna, ut cognoscat te solum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Nec solum nostra Esther placuit Assuro, verum etiam invenit gratiam in conspectu eius; Gabriele dicente (Lucas 1): *Invenisti gratiam apud Deum.* Septem quoque pulchrae ancillae illam semper concomitantur: virtutes scilicet septem, quatuor cardinales, iustitia, temperantia, prudentia, et fortitudo; tres theologicae: fides, spes, et charitas, quibus pulchra adeo in sua conceptione prodiit, ut Sponsus eam comparavit lunae (Cant. 6): *Pulchra ut luna; quibus verbis significasse mihi videtur, quod sicut sol lucis suae irradiatione nullum planetarum, aut aliorum astrorum pulchrius, clarus, ac nitentius efficit, quam lunam; ita inter puras creaturas divinus sol iustitiae nullam divinae suae gratiae radiis cla-*

riorem, ac pulchriorem reddidit, quam beatam Virginem. Alique hinc est, quod si reliquorum sanctorum gesta explorentur, maculam saltem levem haud difficile erit invenire, Apostolo dicente (Iacob. 3): *In multis enim offendimus omnes: at si universam beatam Virginis vitam importanti etiam criminatorem diligenter scrutentur, nullam nec levisimam peccati maculam inventent.* Unde recte ei congruit illud Davidis (Psal. 9): *Quaeretur peccatum illius, et non invenitur.* Praevidentes tamen Spiritus sanctus non sufficienter explicari eximiam Virginis pulchritudinem solius lunae decoro comparatam, consulto illam contulit multiplici rerum pulchritudini, ut ipsam omnes illas simul in unum complexi ostenderet. Unde comparavit eam pulchritudini solis: *electa ut sol* (Cant. 5): pulchritudini stellarum: *Orietur stella ex Jacob* (Nem. 24): pulchritudini fortissimae, et inexpugnabilis arcis (Cant. 7): *Collum tuum, sicut turris eburnae: pulchritudini navis onustae prospero vento navigantis: facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum* (Proverb. 31): pulchritudini vasis summo artificio elaborati: *Unibilicus tuus sicut crater toratilis* (Cant. 7): pulchritudini fontis, et putei clarissimam, aquam scaturientium (Cant. 4): *fons hortorum, puteus agrarum vicentium: pulchritudini amoenissimi horti* (ib.): *Hortus conclusus, soror mea sponsa: pulchritudini Paradisi voluptatis* (ib.): *Emissiones tuae sicut Paradisus: pulchritudini sublimiorum arborum aut palmarum, cypressi, et cedri* (Ecl. 24): *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, quasi platanus exaltata sum in Cades: pulchritudini vultu uberrimos fructus producentis* (ib.): *Ego quasi rivus fructificans suavitatem odoris: pulchritudini nardi: Nardus mea dedit odorem suum* (Cant. 1): *pulchritudini lili: Sicut illium inter spinas, sive amica mea inter plus* (ib.): pulchritudini rosae (Ecl. 24): *Quasi plantatio rosae in Iericho: pulchritudini magni acervi frumenti* (Cant. 7): *Venter tuus, sicut acervus tritici: pulchritudini margaritarum, et lapidum pretiosorum* (Ecl. 50): *Tanquam vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: pulchritudini flavescens vini* (Cant. 1): *pulchritura sunt ubera tua vino: pulchritudini unguentorum aromaticorum* (Cant. 6): *odor unguentorum tuorum super omnia aaronata: pulchritudini dulcissimi favi mel distillant* (Cant. 4): *facus distillans labia tua sponsa, mel, et lac sub lingua tua: pulchritudini regalis purpureae* (Cant. 7): *Conus capitis tui sicut purpura regis cinctae canalibus: pulchritudini avium, ut turtrus, et columbae* (Cant. 1): *Oculi tui columbarum: pulchritudo sunt genae tuae sicut turturis: pulchritudini piscium* (Cant. 1): *Mareculas aureas faciemus tibi: pulchritudini gregis uberrimis pascuis emittae* (Cant. 6): *Capilli tui sicut grex caprarum: dentes tui, sicut greges orium: pulchritudini invincibilis exercitus* (ibid.): *Terribilis, ac castrostrum acies ordinata: cuius pulchritudinem nullus inferorum hostium labefactare potest, sed potius deleritur, recedere compellitur.* Hinc fit pulchritudinem internam beatae Virginis cumulatissimam fuisse, cum omnes illas simul in unum complectatur; ut etiam testatur d. Ber-

nardus in sermone super Salve Regina: *Nihil est virtutis, quod in te non respiciat, et quidquid singuli habere sancti, tu sola possedisti.* Et quidem, si verum est illud, quod d. Augustinus (tom. 3. tract. 9) docet, ut revera est, quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animae pulchritudo. Unde d. Dionysius (l. 4. de div. nom.) dixit: *Deus mittit universis iustis pulcherrimas fontani radii sui traditiones; facile inde colligitur, tantum internam pulchritudinem Mariae aliorum pulchritudinem superasse, quantum amor eius amorem eorum excessit.* Memini etiam d. Augustinum (tr. 32. in Ioann.) dixisse: *Sicut animus facit decus in corpore, ita Deus in animo. Decus corporis, animus; decus animi, Deus.* Unde, cum in nulla pura creatura infimus unquam existerit Deus, cum non solum in mente, sed in ventre hanc Virginem ab eo inhabitandam praeelegisset, manifestum inde fit, iuxta doctrinam d. Augustini, internam Virginitatem pulchritudinem, omnem, etiam angelicum decorem, longe superasse. Ceterum, ut id claris innolescat, alius, si placet, argumentum hoc repetamus ad illustrandam Virginitis conceptionem. Nemo sanae mentis inficiabitur, hanc summi officii mundialtem fabricam pulchram valde esse; hac enim ratione Graeci mundum κόσμος vocitarunt; quod ornamentum, ac pulchritudinem significet. Pulchri sane sunt coelestes orbes, stellarum, lunae, et solis ornamento decorati: pulchra tellus, florum, ac plantarum varietate distincta: pulchrum mare, fluxibus, et refluxibus, ac fluctuantibus undis canctis mirabile: pulcher aer, omne crystallinum corpus sua diaphaneitate superans: pulcher ignis, aureis flammis coruscans: pulchra aves, diversis pennarum coloribus, purpureo, candido, rubicundo, pallido et caeruleo rutilantes: pulchri pisces, in quibus non solum faciem hominis, sed figuram episcopalis mytrae, ac perfectam imaginem crucis, ac plurimum aliarum rerum ipse in exemplaribus fide dignissimis viderim: pulchra tandem animalia, quorum pulchritudine pellium potentissimorum etiam principum vestimenta non parum exornari solent: inter ipsa etiam animalia pulcherrimus homo, sed et pulchriores illo spiritus angelici; nihilo secius tamen universa haec mundi structura non tanta pulchritudine pollet, ut omni defecta, ac deformitate prorsus careat: nam si terram contempleris, tametsi optimos fructus ferat, pessimos etiam verpetes, et spinas producat: mare non semper tranquillum invenies, sed frequenter aquarum vertices superbe adeo exultat, ut multifissas quasque naves submergat: aer, tametsi clarus, et serenus, gravante peste, facile inficitur: ignis quot civitates voracibus suis flammis deglutiit, et in favillas converterit, nullus ignorat: coelum nocivo suo influxu nonnumquam inferiora haec mirum in modum laedere, experientia ipsa quotidiana non semel docuit. De stellis Iob (c. 15) dixit: *Coeli non sunt mundi in conspectu eius.* Homo denique, quem Deus pulchrum ad imaginem suam formavit, per peccatum tantam turpitudinem contraxit, ut brutorum animalium similitudinem indu-

rit, Davide dicente (Ps. 48): *Comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Angeli etiam non pauci turpiores adhuc ipso homine facti sunt, de quibus Iob (c. 4) *Qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem.* Itaque quamvis elementa cuncta, terra, aqua, aer, ignis, coelum, homo, et angeli singulari pulchritudine fuerint ab auctore naturae donati, supra enarratis tamen imperfectionibus minime carent: sola beatissima Virgo omnes puras creaturas in eo valde praecellit, quod pulchritudo eius adeo est omnibus numeris absoluta, ut minima etiam moralis imperfectionis macula penitus sit expers. Idque sibi volunt praeadducta Sponsi verba (Cant. 4): *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Pictores quidem, quantumvis excellentissimi, nunquam adeo pulchram formam imaginem, ut omni prorsus defectu careret; ad quod significandum subscriptionem illam apponere consueverunt: *Apelles faciebat, Prothogenes faciebat:* ut huius imperfecti temporis nota sui operis imperfectionem ingenue fateantur; tamen pulcherrima haec imago beatae Virginitis, sic enim illam vocitat Sponsus (Cant. 1). *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, perfecta adeo ex manibus supremi pictoris prodit, ut hanc ei subscriptionem apposerit (Cant. 4): Tota pulchra es amica mea;* ac si diceret: nihil perfectionis Genitrici Dei debite in te desideratur. Atque ad eum modum, quo in rebus naturalibus philosophi sumus, ad eundem etiam philosophari nobis licebit in rebus supernaturalibus; quae modum eum licet, cum dignitates ecclesiasticae conferantur, certo pensionis onere affici soleant; si tamen contingat filio alicuius magni principis conferri, donantur quidem absque ullo pensionis onere: non dissimiliter, licet beneficia supernaturalia, quae Deus hominibus in hac vita praestat, semper ab eo donentur aliqua pensione affecta, conferuntur namque quibusdam pretiosam virginitatis margaritam, sed cum onere carenti foecunditate filiorum: conferunt aliis foecunditatem, sed cum onere amittendi virginitatis florem: conferunt praegnantibus felicem partum, sed nullum unquam absque dolore (Gen. 2): *In dolore paries filios:* conferunt corpore bene complexionatum, sed non absque onere futurae corruptionis (ib.): *Pulvis es, et in pulverem reverteris:* conferunt aliis pulchritudinem, ac miram venustatem, sed cum eo onere, ut possint concupiscere, et concupisci: conferunt aliis diversitatem scientiarum, sed cum onere, ut superbia possint intumescere, Apostolo dicente (1. Cor. 8): *Scientia inflat:* conferunt aliis orationis donum, sed cum onere non semel mentis vagationem, ac distractionem patienti: conferunt aliis iustificantem gratiam, sed cum onere incertitudinis conservandi illam: conferunt aliis, quod excellentius est, beneficium confirmationis in gratia, ut apostolus; immo, et sanctificationis in utero materno, ut Ieremiae, et Ioanni Zachariae filio, sed cum onere incidenti pro humana fragilitate in aliqua peccata venialia. Contulit aliis insignem fortitudinem ad vincendas omnes carnis illecebras, sed cum onere experiendi rebellionem scelus adversus

HOMILIA X.

Varis similitudinibus, tam ex sacris literis, quam ex humanis monumentis depromptis, Virginitis conceptionem immaculatissimam fuisse ostendimus, in eadem verba (Cant. 4): Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.

Argumentum propositum alius repetens, admirandam illam operum sex dierum creationem ad vivum immaculatae Virginitis miram excellentiam exprimere, ex eo mihi facile suadeo, quia praeterquam ipsa apud Ecclesiasticos, (c. 24) ait: *Memoria mea in generationibus saeculorum:* certe sicut prima die creavit Deus coelum, et terram (Gen. 1), quae pariter ad fructus, quibus utimur, producendos, concursum suam exhibuerunt; sic etiam creavit Ioachim, et Annam, qui maritali affectu ex divina ordinatione coniuncti, ut docet d. Gregorius Nyssenus (orat. de B. V.), fructum benedictum b. Virginitis in lucem ediderunt: quorum quidem nomina futurae prolis praecellentiam non obscure indicabant; nam Ioachim elevationem Dei, Anna vero gratiam significat: quae dicerent: Deus gratia sua eorum prolem elevabit. Elevavit quidem adeo, ut ad dignitatem Matris Dei fastigium illam erigeret. In eo tamen inter illa Ioachim, et Anna valde coelum, et terram excelluerunt, quod haec foecunditate pollebant, cum fructus suos produxerunt; at Ioachim, et Anna infocueudi erant, et steriles: *Erat enim, ut habetur (Genes. 1), terra inanis, et vacua, et subditi (ib.): et tenebrae erant super faciem abyssi.* Erant quidem ob sterilitatem tenebrae afflictionis, et confusionis super faciem Ioachim, et Annae; quia, ut dixit Iuvenalis (satyr. 3):

Præterea tormentum iugens nubentibus haeret.

In eo tamen persimiles fuere coelo, et terrae, quod absque ulla libidine etiam haeta, prout inter coniuges contingit, beatam Virginem generarunt, ut tradit Galatin. (lib. de Arcan. cath. veritatis cap. 8), dum ait: illos concessisse instar primorum parentum in statu innocentiae, hoc est absque perturbatione rationis, et sine libidinis ardore, ac extra omnem foedatam. Et d. Epiphanius (c. 78), et Damasc. (ii. 4. cap. 15) affirmant, generationem illam fuisse valde miraculosam, utpote ex parentibus seniliter aetate procreatis.

Secunda die dixit Deus (Gen. 1), *fiat lux,* per quam egregie b. Virgo adumbratur: tum quia, sicut ibi sacer textus ait, Deus separavit lucem a caligine tenebrarum (ibid.), et dixit lucem a tenebris; ita b. Virginem longe adeo separavit a peccatorum tenebris, ut caligine peccati originalis suae obscurantur, ipsam nec per momentum involvi permitteret, ut non immerito de ea diceret Iocal (Joann. 1), et tenebrae eam non comprehenderunt: tum quia, sicut ex luce formatum fuit sol, ut non pauci doctores docuerunt cum Magistro sententiarum (in 2. dist. 13), ita sol iustitiae Christus Dominus ex Virgine, tamquam

vum, qui Zeuxi mendaciter diceret, omnes eius imagines igne repente suborto accendi; detulit nuncium servus, et confestim illo audito, exclamavit Zeuxis: *Servate mihi Adonidem, servate mihi Adonidem*: quibus verbis demonstravit, Adonidis imaginem maxime omnium ab illo aestimari, cum eam saltem voluisset in eo incendio incolumem manere, etiam si aliae igne absumerentur: sic etiam Deus optimus maxime solam hanc Virginis imaginem, licet alias omnes incendio generalis peccati originalis concremari permiserit, liberam, et incolumem esse voluit; quasi dicens: *Servate mihi Mariam, sicut Zeuxis, servate mihi Adonidem*: nec id sane mirum videri debet: nam si, teste eodem Plutarcho, noluit Caesar Augustus Alexandriam aequari solo, eo quod ab Alexandro aedificata fuerat, quomodo Deus Virginem, quam fundavit ipse, iuxta illud (Ps. 86), *Et ipse fundavit eam Altissimus*, a daemone oppugnari, ac destri pareretur? Quod, si etiam ipse Alexander Magnus, ut asserit idem Plutarcho, templum Dianae Ephesinae inter septem orbis miracula numeratum evertere noluit, quia erat templum dicatum Deae paritatis, cum tamen cetera templa evertisset; qui fieri poterat, ut templum Virginis, quae Dea, si fas est poëtic more loqui, puritatis est, ac sanctitatis, evertetur pro peccatum originale, aut in templo Dei sacrificium aliquod daemoni offerretur? posset enim, si Virginis templum aliquo peccato fuisset pollutum, gloriam quidem ipse in Virgine sibi oblatum fuisse sacrificium. Memoria dignum est illud quod refertur (1. Machabae. c. 4) fecisse Iudam: *Cogitavit, ait sacer textus, de altari holocaustorum, quod prophetaum erat, quid de eo faceret, et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes, et demoliti sunt illud*. Si ergo opprobrium erat Iudae offerri holocausta Deo in altari a gentibus polluto; quanto magis esset Domino, si altare Virginis ipsi consecratur a daemone aliquando peccati originalis macula pollutum fuisset? Quod etiam alio eiusdem sacrae Scripturae simili exemplo sic declaro: nam si Deus ex auro idoli (Deut. 7), quod fecerunt Israelitae, noluit fieri vasa ad templi honorem, ac splendorem, vel ad templi ministeria necessaria, non quia aurum idoli optimum non esset, sed quia erat aurum idoli; quanto minus ex Virgine, si daemones pro peccatum fuisset idolum, voluisset Deus vas pretiosissimum fieri, ubi manna divinitatis reconderetur? et, si indecens est, ut ex linteo, quod in coquina ad abiectionem deservit munia, sacra fierent corporalia ad Missae sacrificium in illis offerendum; indecens etiam esset, ex Virgine, si daemones deservisset, corporalia sacra fieri, ubi Christus sacerdos summus offerret oblationem Patri. Quare cum ipse possit eam mundam elegere, nulla ratione immundam elegisse credendum; potuisse autem quis negat? habebat enim Christus maiorem potentiam ad defendendam Virginem, quam daemones ad illam offendendam: quemadmodum enim, si adamas inter duos magnetes poneretur, qui maiorem haberet virtutem, et proximior esset, adamantem ad se tra-

heret, sic in Virgine contingit, quae in conceptione sua fuit velut adamas inter duos magnetes positus, Christum, scilicet, et daemones; a Christo tamen, quia et magnetis maioris virtutis, et quia erat Virgini proximior, iuxta illud (Matth. 1), *De qua natus est Jesus*, vehementius attracta fuit: maiorem ergo vim habuit gratia Christi ad Virginem ad se alliciendam. Verum quia humana ruditas in eo semper haeret: qui fieri possit, ut, cum h. Virgo ex progenitoribus peccati labe infectis descendat, nullam ex eis infectionem participari? His, quae sequuntur, exemplis edoceri, et manduci potest. Observant non semel naucae, flumina quaedam tam veloci, ac rapido impetu mare ipsum ingredi, ut amaritudinem maris nullam contrahant dulces aquas secum ferant: ad eundem modum divina virtute factum est, ut pertransiens h. Virgo per salum illud mare suorum progenitorum amaritudine peccati infectorum, nihil huiusmodi amaritudinis contraxerit. Tradit etiam philosophus in Metheoris (Arist. 2. met.), si vas ex cera virgine in confectionem, et undique clausum in profundum maris immittatur, aqua repleti dulcissima, longaque a se marinae aquae amaritudinem, aut salsedinem propulsare: non dissimiliter vas virginem Mariae, undique diabolo clausum, in mare huius saeculi per naturalem propagationem immisissum, omnem peccati amaritudinem longe a se repellens, dulci solum divinae gratiae aqua repletum fuit; ut postea angelus ei dixit (Luc. 1): *Ace gratia plena*. Item sicut, non paucis rerum naturalium hystoriographis id attestantibus, salamandra in medio ignis posita non comburitur; ita Virgo sanctissima inter parentes peccati originalis igne adustus posita, nec minima illius scintilla offenditur; et sicut herba, quam Graeci vocant *adynamum*, ut iidem naturales docent, quamvis in medio puteorum nascatur, ac truncus, et radices inter aquas sint, rami tamen illius nuntiique aquas contingunt, puteorum aqua quantumcumque magis, ac magis crescent: ita quamvis progenitorum h. Virginis truncus, et radices, unde ipsa oritur, peccati originalis aquis fuerint submersi, illam velut *adynamum* rami nuntiique aquas contingunt, aquae nunquam tegerunt: quod, si ad rerum artificialium structuram mentis aciem convertamus, reperiemus, quod licet aurifices, pulvere, fumo, imo et carbonis nigredine foedati sint, ex deturpatis tamen eorum manibus, ac turpibus et impolitis instrumentis vas aureum, aut argenteum miro artificio elaboratur, ac purissimum prodit, ut doct. Ambrosius notavit (super 1. Matth.): non secus, licet h. Virginis progenitores, qui fuerunt velut artifices, qui aureum hoc vas h. Virginis elaborarunt, peccati originalis nigredine deformati fuissent, ipsa tamen e manibus eorum prodiens, nec minimam illius nigredinis labem secum tulit: cum enim esset vas, in quo coeleste manna divini Verbi incarnati collocandum erat, oportebat certe nullo antea turpi, ac mortifero liquore fuisse coinquatum. Ac tandem eidem difficultati apte responderi potest per verba illa Davidica (Ps. 28): *Vox Domini intercedentes flammam ignis*:

sicut enim Deus novit, et potuit flammam ab igne dividere, et calorem a luce, et e contra lucem a calore separare (Dan. 3): in camino namque illo babilonico ignis illuminabat pueros, sed non calefaciebat: ecce divisionem lucis a calore: in inferno autem dividit calorem ignis a luce, cum ignis ibi comburat, sed non luceat: sic sane omnipotentia sua novit Deus dividere naturam humanam Virginis per naturalem propagationem ab Adam tractam ab infectione, et macula peccati originalis, divina Spiritus sancti gratia illam praeveniens. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Am.

HOMILIA XI.

In honorem immaculatae conceptionis Deiparae Mariae erudite explicantur verba illa Canticorum: Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens; pulchra, ut luna, electa, ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata.

Consevere astrologi felicem sortem alienius ex puncto conceptionis, seu natalitatis augurari, volentes eam ex benevolo aspectu astrorum venari, unde Svetonius in vita Caesaris scribit, illum in stemmata, et insignia sua accepisse figuram, quam magnus astrologus Biogenes in natalivem eius ediderat, in qua animal quoddam descriperat semicaprarn, et semipiscem, significans in hoc duo haec astra, capricornum, et piscem, in eam natalivem concurrere. Depinxit etiam inter pedes huius animalis globum, et gubernaculum navis, necnon et cornuopia, globo mundum, gubernaculo sceptrum regium, cornuopia divitiarum abundantiam significaret, quibus feliciter Caesari fruentum erat. Ut tamen hanc fatalem felicitatem ostenderet Caesar a principio sui natalis secum coepisse, et inevitabilem esse, ut falso ipse putabat, voluit pro stemmatibus praedictam figuram accipere. Certe si nos tamquam catholici astrologi explorare cupimus punctum conceptionis Virginis, reperiemus favorabilem adeo ei fuisse solis aspectum, ut nulla peccati nebula eam obscurari pateretur: ingressus est enim tunc sol in signum virginis, dicente Ioanne (Apoc. 12), *Signum magnum apparuit in caelo; mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim*. Ecce describit Virginem a capite usque ad pedes undique perlucidam, ac fulgentem, ut significet, a principio usque ad finem gratiae fuerit, et semper consurgens; cuius tam singularis excellentiae admiratione rapti angeli dixerunt (Cant. 6): *Quae est ista, quae progreditur, quasi aurora consurgens; pulchra, ut luna, electa, ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata*? In primis comparant illam aurorae, quia sicut haec lucens incipit esse, et in luce crescit, quoad usque fulgenti soli coniungitur; sic immaculata Virgo in puncto, ut concepta fuit, coepit divinae gratiae luce clarescere, et in hac claritate in dies succrescens, tandem cum sole iustitiae Christo Domino in coelestis beatitudinis miris gloriae

decorata fulgoribus fuit coniuncta. Atque huc faciunt verba illa Davidica (Psal. 45): *Adiuvabit eam Deus mane diluculo*.

Sane quosdam sanctos adiuvi Deus ad occasum solis, ut bonum latroem; alios tardius, ut Magdalenam; et alios in meridie, ut martyres, qui in fervore persecutionum fideles inventi sunt; alios adiuvi hora tertia, ut Apostolos, qui primitias Spiritus haberunt; alios opitulatus est mane, ut Ieremias, et Baptistae ab utero materno eos sanctificans; huiusque progressa fuerat divina gratia in sublevanda hominum miseria: tamen, ut adjuvaret Virginem, non solum mane surrexit, sed *mane diluculo* eam praeliberans, et praeservans in puncto conceptionis suae a macula culpae originalis. Observare etiam oportet circa eundem locum, quod ubi nostra Vulgata legit (*ibid.*), *Adiuvabit eam Deus mane diluculo*, alia versio habet: *Adiuvabit eam ad aurora matutina*: hoc est, cum primum illud mirabile factum est, in principio aurorae conceptionis Deiparae Mariae praeter communem ordinem humanae conceptionis, divinae gratiae nova lux oriri visa sit, ut habetur Esther c. 8. Nova, inquam, secundum intentionem, quia copiosior gratia fuit illi relicta in principio suae formationis, quam reliquis sanctis in fine vitae illorum: nova etiam, quia nemini unquam contigit in media caligine conceptionis humanae divinae gratiae lucem perfundi, nisi soli beatae Virgini; unde recte ei congruit illud (Ioannis 1), *Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*, hoc est, in medio tenebrarum conceptionis, ubi nemo unquam vidit lucem, nova haec divinae gratiae lux emicuit; hincque factum est, ut tenebrae caliginosae noctis peccati originalis eam comprehendere non poterint. Quare, sicut in constructione mundi quod primo effecit Deus, fuit lux, dicens (Gen. 1): *Fiat lux, et facta est lux*, in eaque adeo sibi complacuit, ut dicit sacer textus (*ibid.*): *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et dixit lucem a tenebris*; sic Deus in constructione beatissimae Virginis, hoc est, in eius conceptione, primum quod effecit, fuit lux divinae gratiae, quam Virgini inesse tanloptere Deus sibi complacuit, et maxime per longum tempus a tenebris peccatorum venialium, a quibus nemo immunis vivit, iuxta illud Iacobi (c. 3): *In multis offendimus omnes: et illud Ioannis (c. 1): Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*; tamen in beata Virgine illud mirabile fuit, ob praeservationem a peccato originali, quod sic Deus divisit lucem a tenebris, ut nec minima unquam peccati venialis obscuritate obnubilata aliquando fuerit. Unde de beata Virgine alius verificatur illud Genesios (*ibid.*): *Vidit Deus lucem, quod esset bona, et dixit lucem a tenebris*.

Addit etiam regius Vates (Psal. 45): *Deus in medio eius non commovebitur*. Nullum beneficium maius excogitari potest, quam quod Deus num-